

Q. 534.

X 1386 187 B. m



ELEGIA

IN DIEM ASCENSIONIS
DOMINI NOSTRI IESV
CHRISTI, A IOANNE PI-
storio Nisæno in Gymnasio
Culmensi scripta, etc.

DEDICATA.

Virtute Ornatissimo & Prudentissimo
Viro, Domino LAURENTIO GEL-
FELDIO, ibidem proconsuli etc.

IOAN: CODICIUS.

Velitis exigua teneri stat cuspis arena,
Postmodo qui Martis fortior arma mouet.
Angusto fragilis colludit in æquore lembus,
Tiphys ducatur dum Pagasæa ratis.
Musarum simili ratione tenellus alumnus,
Prætentat docili nabilia parua manu.
Donec Hyanteas robustior appetat arces,
Discat vbi celebri personuisse lyra.
Ecce nouus castis accessit Tyro Camœnis,
Qui sacra deuoto carmine festa refert.
Aethera cum victo Christus repetiuit Auerno,
Helleboro taceasebria lingua, volo.
Laudabit nitida benè sanus mente poëma,
Rictibus î cubitum, liuor acerbe, tuis.

GEDANI EXCVDEBAT FRAN-
CISCVS RHODVS.

ANNO M. D. LV.
Mense Maio.



*Excellenti viro d. Joanni Codicio Scrib. et Solbr.
Krausius, patri suo nempe, filij Ioan: d. d.
Hic tibi mitto mod. monumentum...*



EXCELLENTISSIMO ET
PRVDENTISSIMO VI-

RO, DOMINO LAVRENTIO

Gelfedio, Urbis Culmanæ Proa
consuli, Domino & Fautori
suo colendissimo. etc.

S. P. D.

Vr̄sa suo partū cum iam dissoluerit aluum,
Gignitur horrendo cruda colore caro.
Peruigil hanc rostro lambenti postmodò fingit,
Læta sibi similem perficit inde feram.
Sic ego quantumuis, dum primum procreo foetum,
Monstrosus videor versibus esse meis.
Gratia nec Musæ datur illibata recenti,
Dum strident tenui stamina rauca Chely.
Disſciunt Helles Symphlegades æquore nauem,
Qua merces veherem Cirphidos arce sacra.
Attamen hæc placida, Consul clarissime, dextra,
Carmina, digneris continuisse, precor.
Quæ, quia dulcisonis vn̄iris Apollinis antris,
Dedico virtuti, Vir celebrande, tuæ.
Materia sacra dant argumenta diei,
Qua fuit à terra Christus ad astra redux.
Sunt conscripta quidem macræ sermone Thaliæ,
Consule te tanto digna nec esse reor.
Primitias ideo contempnas pauperis agri?
Qui fert exiguo germina pauca loco.
Te celebrare satis nequeo, sed Vatibus ansam
Exemplo reliquis reddere tento meo.
Illis nota tuæ cum fient pignora mentis,
Qua potes antiquum præualuisse Numam.
Versibus extollent te clara per astra canoris,
Me Cythara gratum sufficit esse breui.
Id per Pierides te, quarum numine polles,
Per veterem Culmam, quam regis ipse, peto.
Pallada perq̄ tuam, qua te prudentia fulgens,
Ornatu celebres collocat inter auos.

Numine sic prono tibi donet sydera Christus,
Præcedens, facilem reddidit ille viam.

Ioannes Pistorius.

DE ASCENSIONE IESU
CHRISTI.

ELEGIA.

Quilibet impuras emungat pectore sordes,
Cogitet ac summo ritè placere Deo.
Ostendat faciles in religione meatus,
Saluifici Ghristi dogmata sancta colat.
Inficiant stolidam ne mox phantasmata mentem,
Pluto quibus terræ clymata foeda facit.
Eua quibus nocuit, sed ludificata Dracone,
Pestiferisq; malis vnde venena fluunt.
Omnis ouet nitido complecti corde tonantem,
Cui benè qui fudit, tempora lætus agit.
Dirigat omnino cœlestis ad atria regni
Lumina, non dubiam concipiendo fidem.
Auxiliumq; petat diuini flaminis almum,
Ne ruat officij fulta columna sui.
Ut sibi contingat per vota salubrior aura,
Nec Zephyrus flatu cesset abesse leui.
Nubibus vt pulsus redeat post nubila Phœbus,
Fulgeat è cœli vertice lene iubar.
Solenni quoniam lux concelebratur honore,
Phosphorus hanc flauo candidus ore probat.
Gaudia magna p̄is hæc lux venerabilis adfert,
Qui sperant, mundum saluificantis opem.
Annua dum radijs Tytan fert secula clavis,
Aethere gratantur sydera lapsa vago.
Cum corpus rutila coopertus nube recinctum,
Christus stelligeri scandit in astra poli.

A ñ Cum

Cum tellure simul, cursu remeante, relicta,
In folio cepit dextera fulcra patris.
Hæc dum sacra dies solatia multa ministrat,
Pectore deuoto sic peragenda venit.
Debeat ut nemo turpem traducere vitam,
Sed roget æterni numina quisq; Dei.
Valle sit ut cladum non inferiore superstes,
Scandere sed pariter mortuus astra queat.
Et iam viuis adhuc in cœlos lumina mentis
Tollat, & ex humili iactet in alta caput.
Tunc quoq; Discipuli, duodena caterua, leuabant,
Ardentes oculos, languida corda simul.
Quando refulgentis deuectus in ætheris aulam,
Christus ab his rediit patria regna plagis.
Venerat in mundum prius, ut mortale bearet,
Solueret ac dira pestilitate genus.
Dumq; parauit Adam primus fatale venenum,
Quod nisi diuinus tollere posset homo.
Ut quoq; mortalis fieret, veluti alter Adamus,
Tollere qui primi turpia damna queat,
Flamine conceptus sacro, sub Virginis aluo,
Per menses latuit sarcina parua nouem.
Quo genito Virgo fit casta puerpera, cuius
Mansit in illæso corpore saluus honor.
Utq; piam legem coleret, præciditur infans,
Sanguine lex fuso sic abolenda fuit.
Flore iuuentutis tandem robustior ætas
Quando verecundum fecerat esse virum.
Diuinis miserum collegit vocibus agmen.
Signa quibus, miris addidit ampla modis.
Reddidit auditum surdis, ægrisq; salutem,
E tumulis ciuit mortua membra suis.
Cæcatis oculos miranda dote reduxit,
Ambulat & claudus, nec modo crura labant.
Incoluit Dæmon quem pro lare, liber abiuit,
Et loquitur vinctis lingua retenta prius.
Deniq; sufficerent non centum mensibus anni,
Omnia quò detur signa referre mihi.
Ipse

Ipse quibus Christus satis integritate probavit,
Se simul esse hominem, se simul esse Deum.
At fremitat Sathanas, cum fortè timeret auerno,
Nectantum Dominum sustinuisse valet.
Conuocat in Christi fatum sua monstra tremenda,
Quæ struerent illi funeris omne genus.
Tandem Sacrilegis nummis permotus Iudas,
Tradidit innocuum fraude patente Deum.
Hunc ubi Pontifices ceperunt fune ligatum,
Mille catenato corpore probra tulit.
Dire flagellasti tandem sua membra Pilate,
Squallida, regalis, purpura vestis erat.
Spina corona fuit, sceptrum præuilis arundo,
Sic docuit nostrum regna tenere Ducem.
Cornibus inde Crucis latis affigitur altæ,
Spiritus at Cœli templa sub alma volat.
Interea diuum pectus sparus intrat acutus,
Mox tamen in tumba membra sepulta cubant.
His armis Stygios prosternit fortiter hostes,
Nam celeri subijt tartara opaca gradu.
Euertit furias, veteres soluitque parentes,
Iam tua Pluto ferox atria fracta iacent.
Calcavit reprobæ sorbentia guttura mortis,
Quid nobis vltra quod nocuisset erit.
Postquam parata fuit regi victoria Christo,
Surrexit, redijt tertia quando dies.
Se nimium timidis manifestauitque ministris,
In dubiam nondum qui tenuere fidem.
Quòd fuerit, docuitque, nigra de sede reuersus,
Vt modò non vllus subdubitare queat.
Illos inde iubet mundum peragrarè labantem,
Quà Sol exoritur, quàque recedit à quis.
Solstitium Cancer quà fert æstate Syenæ,
Vtraque quà tardas promouet Vra rotas.
Clymata totius iubet orbis inire, fideles
Vt doceant patris dogma salubre sui.

A iij Gentibus

Gentibus vt cunctis cœlestia pabula promant,
Pectora Baptismo purificentq; nouo.
Vt benè pastores tueantur ouilia, sæuo
Ne lupus exitio perdat acerbus oues.
Vt sine desidia tolerent dispendia vitæ,
Pro grege quam fidus spernere pastor ouat.
Talja cum multis alijs vbi iusserat Heros,
Non modò mortali qui regit astra manu.
Omnia, quæ nostram poterant augere salutem,
Consummata videt, restat in orbe nihil.
Ergo simul cœlum ne non sequeretur apertum,
Illius vt facili calle pateret iter.
Tempore, quo medio sudum fit sole serenum,
Celsa quaterdena sydera luce petit.
Luce quaterdena, postquam surrexerat, astris
Infert se, corpus nube leuante sacrum.
Discipuli, quantum possunt, cernendo sequuntur,
Dumq; suis oculis cœlica tecta vident:
Astant ecce viri duo, quos regit albus amictus
Talibus & soluunt ora diserta modis.
Quid vos o iuuenes oculis mirantibus astra
Suspicitis? celebris quos Galilæa tulit.
Quid statis stupidi, stupidi spectatis Olympum?
Vestraq; singultu corda tremente sonant?
Hic ad sydereas arces transumptus Iesus
A vobis, veluti iam noua regna petit.
Sic olim celebri cum maiestate redibit,
Iura creaturis omnibus atq; dabit.
Talis vbi timidus vox est delata sub aures,
Iam Christū dominū clausus Olympus habet.
Contremit excelsi contermina machina cæli,
Suscipit & pondus, læta hilarisq; nouum.
Ad patrium redit iam victor Christus Olympum,
Vt se post, homines attrahat ipse pios.
Cingunt Angelici quem sedulitate ministri,
Et reducem sistunt ad loca dextra patris.
Imponuntq; suis victricia ferta capillis,
Quòd dederit meritæ pessimæ monstra neci.
Illinc

dijt

Illinc ætherea demittit flamen ab aula,
Qui consoletur languida corda fide.
Erigat & sacro titubantia membra fauore,
Monstret item, cœli quâ sit eunda via.
Illic & precibus nostris citò porrigit aures,
Porrigat vt larga munera larga manu.
Christe Deus, Sathanæ qui cuncta pericla fugasti,
Ne nos Tartaræ pœna maneret aquæ,
Da bonitate tua, cessent vt prælia Martis,
Erigat & pietas reddita pacis opes.
Perdantur, miseris ouibus mala turba, latrones,
Qui iaciunt Stygii semina tosta Iouis.
Doctores etiam nobis admitte fideles,
Vt tua florescat vinea vite noua.
Quando simul tellus nostros tumulauerit artus,
Fractæq; compages corporis huiuserit:
Suscitet extremo lituus nos tempore clangens,
Dulcis ad æternas prosperitatis opes.
Vtilitas frustra bona ne solatia præstet,
Clara quod hac victor scanderis astra die.
Munia cui semper solenni voce canemus,
Simus vt his meritis grata caterua tuis.
Restat, vt optata nos religione focilles,
Post tua turbatos numina, queso trahas.
Te mediante pater stellata palatia reddit,
Æthere nos foueat te mediante pater.
Templa tuas laudes passim deuota sonabunt,
Pendebunt rutilis tanta trophæa tholis.

FINIS.

Hieronymus Codicius Lectori.

Cum modo Ioannes Chartis Pistorius istis
Edidit in lucem Carmina docta sua,
Candide tu lector sua carmina carpere noli,
Quæ dedit incipiens Musa recente lyra.
Huic si de Superis pendebit plenior ætas,
Plurima conscribet lector amice tibi.

AKTc 1774

L. IOANNES CODICIUS
AD IUVENTVTEM.

Mœnibus ex Culmæ volitare poëmata cernis,
 Ingenuos iuvenes quæ cecinisse scias.
 Nunc, celebrant pueri natalia tempora Christi,
 Nunc, vti prostrato Dite, rediit humo.
 Nunc, velut empyreæ conscenderet atria sedis,
 Nunc cantant alijs altera festa lyris,
 Ut modò Gymnasij notescant nomina nostri,
 Voluit vbi triplices Istula magnus aquas.
 Nec mirum, radios totum quòd spargat in orbem,
 Reddat & Aonios plectra sonare choros.
 Ipse locus, Tempe qui formosissima vincit,
 Et Genius terræ, talia dona ferunt.
 Quicquid fama docet Parnasso dulce vigere,
 Hic fundit patulis Laurus opaca comis.
 Dulcior hinc largis fons manat Phocidos vndis,
 Sæpè quibus charum tingit Apollo gregema
 Adde viros celebres, qui Musis tecta dederunt,
 Ac vigili Sophiæ scita labore docent.
 Ergò petas celeri gressu Culmense Lyceum,
 Prospicies rectè, chara iuuenta, tibi.


IN ZOILVM.

Zoile diuinus quamuis non viuo Poëta,
 Te tamen exupero, pessima lingua tace.

FINIS.

217





B.I.G.

Farbkarte #13

Black, 3/Color, White, Magenta, Red, Yellow, Green, Cyan, Blue

X 1386/187 B. m



EGIA
ASCENSIONIS
NOSTRI IESV
A IOANNE Pl
no in Gymnasio
scripta, etc.

ICATA.
mo & Prudentissimo
LAURENTIO GEL
em proconsuli etc.

CODICIUS.
t cuspis arena,
Martis fortior arma mouet.
it in æquore lembus,
dum Pagasæa ratis.
tenellus alumnus,
nabilia parua manu.
tior appetat arces,
personuisse lyra.
Tyro Camœnis,
carmine festa refert.
stus repetiuit Auerno,
ebria lingua, volo.
us mente poëma,
m, liuor acerbe, tuis.



VDEBAT FRAN
RHODVS.
D. LV.
Maio.



varmi Codico scribo ut Solon.
si suo nempado. filij Ioan. d. d.

